

*Vice-Legatus* vide *Præses* seu *Gubernator*. Ea etenim omnia, quæ de ipsis, de illo etiam statuta intelliguntur. 274.

*Vigilia* Nativitatis Domini. 177. Missa solemnis hac die celebrari solet in paramentis violaceis. *ibid.*

*Vesperæ* solemnes hac die. *ibid.*

*Vini*, et aquæ prægustatio per Sacristam. 154.

*Vinum* pro purificatione Episcopi infunditur in calicem per Subdiaconum, si præsto non sit Diaconus. 56.

*Visitatio* Civitatis, vel Oppidi insignis in Diocesi constituti, quo ritu prima vice habenda. 6.

*Visitor* Apostolicus. Episcopus, vel non Episcopus. 12.

*Visitoris* Apostolici Episcopi locus in Ecclesia. 54.

*Umbraculum* supersedem Episcopi, et super altare. 54. Vide *Baldachinum*

*Votiva* Missa de Spiritu. S. cantanda prima die Synodi. 111. Singulis quintis feriis hæc Missa votiva cantanda. 112.

*Urceoli* vini, et aquæ pro Missa solemni. 154.

#### FINIS RERUM INDICIS.

## APPENDIX

### DECRETORUM GENERALIUM

#### SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS.

#### DECRETUM

*Circa usum Pontificalium Prælati Episcopo inferioribus concessorum, a Sacra Rituum Congregatione ordinaria, habita coram ALEXANDRO Papa VII emanatum, die xxvij. Septembris MDCLIX.*

Sacra Rituum Congregatio, tollendis, ac eliminandis circa ecclesiasticos Ritus, qui irrepserunt, abusibus, sedulo intenta, post Episcoporum Cæremoniale evulgatum (quo quidquid ad ipsos in sacris Cæremoniis pertinet, abunde præscripsit), idem quoad inferiores Prælatos, qui Pontificalium usu fruuntur, præstandum curare necessarium existimavit, ut excessus aboleantur, uniformisque inducatur Sacrorum ritus in omnibus, eo præsertim tempore, quo privilegia ipsi perperam interpretantes, obtendentesque, parum obsequi student Decretis pluries ab eadem Sac. Congregatione hac in re evulgatis, aut ipsa ignorare prætexunt. Quamobrem omnia simul, ut uno conspiciantur obtutu cogere, perque capita dirigere constituit, quo facilius observentur.

I. Super altari, in quo Sacra erunt facturi, septimum nequaquam apponant candelabrum.

II. Cathedram, seu Sedem fixam et permanentem, in eorum ecclesiis ne detineant; sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis Decretis tantummodo Pontificaliter celebrare est iis permissum, mobili Sede, seu Cathedra, utantur, quam nihilominus simplici serico panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, sive hasilico opere exornato.



III. Baldachinum adhibere supra sedem poterunt, non pretiosum, aut aureum, sed simplex, et eo, quod altari superimponitur, materia et opere inferius; ad ipsam autem per duos tantum gradus in presbyterii superficie stratos ascendatur.

IV. Non abacum alium præter parvam mensam, et in cornu Epistolæ, parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, necnon mitra, calix, Missale, thuribulum, navicula, et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur. Prope vero mensam eandem parieti hærens baculus pastoralis aptetur.

V. Dies vero, in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de præcepto festivi, vel alii, in quibus ipsis Pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli, et Dedicacionis Ecclesiæ; abstineant autem ab hujusmodi Pontificalium usu in Officiis et Missis Defunctorum, quocumque die etiam festivo et de præcepto.

VI. Ad Ecclesiam accedentes licet Pontificaliter divina peracturi, iisdemque absolutis ab altari recessuri, a suis Canonicis, vel Monachis (ut mos est Episcoporum), ne associari se sinant.

VII. Præter duos Sacrificii Ministros, Diaconum nempe Evangelii, et Subdiaconum Epistolæ, duo alii tantum Diaconi cum dalmaticis, et unicus Presbyter cum pluviali eis assistant. Duo insuper Capellani, qui de mitra et baculo, ac totidem Acolythi pro candelabris inserviant. Præterea sex alii Canonici, vel Monachi, duo scilicet pluvialibus, duo planetis, totidemque tunicellis induti divinis hujusmodi interesse valeant, qui tamen non in sedibus, seu stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus, panno viridi laneo coopertis, situ congruo accommodatis, moxque illinc removendis, consideant.

VIII. Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant; sub mitra pileolum nigri tantum coloris induant; baculum pastorem albo velo appenso deferant, ab iisque, et aliis Pontificalibus, etiam de Ordinariorum licentia, extra Ecclesias sibi subjectas prorsus abstineant, et neque in Processionibus, quæ ab eorum Ecclesiis per vias extra ambitum, vel parochiam, ducuntur, insignibus prædictis utantur, vel penes se perferri faciant.

IX. Regulares rocchetto non deferant, nisi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum hujusmodi competat.

X. Invitati ad Ecclesiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti valeant, nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui, vel benedicti, in propriis Ecclesiis uti possint privilegio perpetuis Abbatibus, vel alias benedictis, indulto.

XI. Sacras vestes ex altari non sumant, nisi Pontificaliter divinis vacaturi.

XII. Indulgentias impertiri, vel publicare non audeant, absque expresso S. Sedis indulto.

XIII. Pontificales benedictiones cum tria crucis productione in Missis tantum Pontificalibus, nec non Vesperis et Matutinis Pontificaliter itidem celebratis, licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis, quamvis pleno jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam Pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes, benedicere non præsumant.

XIV. Præsente Episcopo, sine speciali Sedis Apostolicæ permissu, etiam Pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent.

XV. Si Episcopus aderit, ipsius sedes in cornu Evangelii, uno saltem gradu eminentior abbatiali est erigenda, hæcque altero gradu humilior, ut dictum est, in cornu Epistolæ collocetur. A latere Episcopi Canonici Cathedralis, prope Abbatem Canonici, vel Monachi Monasterii, et Abbatialis Ecclesiæ, consideant. Confessionem cum celebrante Episcopus faciat, isque thus in thuribulum imponat, Evangeliorum textum osculetur, et populo solemniter, quamvis Abbas ipse Pontificaliter celebret, benedicat. Episcopus præterea trino ductu, et immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas, nisi celebret, pariter duplici, ac subinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Ecclesiæ, unico tantum ductu thurificentur.

XVI. Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti hujusmodi accessu ad Ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius Abbates valeant suis uti privilegiis.

XVII. In Ordinationibus Canonicorum, Clericorum, Monachorum, necnon in vestitionibus Monialium, et emissionem Professionis earumdem, etiam pleno sibi jure subjectarum, in benedictionibus sacræ supellectilis, cæterisque actibus (Missarum, Vesperarum, et Matutinarum solemnibus ter tantum in anno, ut præfertur, exceptis), neque in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque locis tam publicis, quam privatis, quantumvis exemptis, eisdemque Abbatibus pleno jure subjectis, mitram, baculum, et quævis alia Pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicæ concessione, adhibeant.

XVIII. Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum, benedicant.

XIX. Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos,



etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, Calicum et similia, in quibus sacra adhibetur unctio, nec non Minorum Ordinum collationes.

XX. Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei prædicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non præsumant, sed Episcopis, quibus jus hujusmodi privative competit, omnino dimittant.

XXI. In Missis privatis quoad indumenta, cæremonias, ministros, altaris ornatum, et benedictionis largitionem, a simplici sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in sacristia, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super altari adhibeant.

His autem Sanctissimo relatis, et in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria, habita coram Sanctitate Sua per Eminentissimum et Reverendiss. D. Card. Brancatium accurate perlectis, et mature discussis, Sanctitas Sua ea approbavit, et pro omnimoda eorumdem observatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi, et publicari, ut elapso termino sex mensium a die publicationis eorumdem, omnes, et singulos usu Pontificalium gaudentes, tam sæculares, quam regulares, quantumvis exemptos, et speciali expressione indigentes afficiant, et arceant, ac si omnibus, et singulis eadem adhibita, vel personaliter præsentata, intimata, seu notificata fuissent. Indulsitque præterea locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicæ possint, immo debeant præfatos etiam per censure compellere.

Cumque nonnulli ex dictis Abbatibus et Prælatibus proprium habere possint territorium, juraque Episcopalia, nullisque subdantur Episcopis qui eos coercere, si excesserint, valeant: eo casu a Sedis Apostolicæ Nuntiis, si aderint, sin minus, ab Archiepiscopis in quorum provinciis, vel ab Episcopis Romano etiam Pontifici subjectis, intra, vel prope quorum dioceses, limites eorum Ecclesiæ vel Monasteria sita fuerint, tanquam a S. Sede delegatis, ad hujusmodi Decretorum observationem prædicti omnino cogantur. Die xxvij. Septembris MDCLIX.

### DECRETUM GENERALE.

Cum pluries Sacra Rituum Congregatio, inhærendo Decretis alias editis, et signanter in Lucerna, die xxij Novembris MDCLXIV, xxvij. Septembris MDCLXXV, et xij. Martii MDCLXXXVIII, declaraverit, nullo modo dandum esse Evangelium ad osculandum sæcularibus, etiam Præsidi, in celebratione Missarum; necnon prohibuerit usum Baldachini, et præsertim in Acernina die xxvj. Junii MDCLXVI, Baren. v. Martii MDCLXVII et xvij. Junii MDCLXXXIV, Marsicen. Polignan. et Milet. v. Martii MDCLXVII, Hieracen. die ij. Octobris MDCLXXXIII, et Bitect. xxij. Septembris MDCLXXXIV; ac insuper denegaverit assistentiam in Presbyterio, et specialiter in Materanen. xxiv. Januarii MDCLXV, Melphytana xv. Junii MDCLXXVII, et Baren. xx. Novembris MDCLXXVII, et xxij. Februarii MDCLXXXVII:

Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales, eidem Sac. Congregationi præpositi, mandarunt, ut prædicta Decreta prohibentia personis sæcularibus osculum Evangelii, usum Baldachini et assistentiam in Presbyterio, renoventur; et copiam illorum transmittantur Archiepiscopis et Episcopis regni Neapolis, eisdemque injungendo, ut illa intimari faciant superioribus ecclesiarum suæ diocesis, tam sæcularibus quam regularibus; et in casu transgressionis procedant etiam contra regulares auctoritate ejusdem Sac. Congregationis ad pœnam interdicti: et ita decreverunt, et in ecclesiis regni Neapolis omnino servari jusserunt. Die xij Martii MDCLXXXVIII.

### DECRETUM GENERALE.

Sacrorum Rituum Congregatio, die xxij Aprilis, referente Eminentissimo Domino Cardinale Columna Ponente, stetit in decisio die xij Martii MDCLXXXVIII. Et quoad Baldachina, non tantum illorum usum, verum etiam retentionem, tam in Presbyterio quam extra, in eodem Decreto comprehendi declaravit. Et ad effectum, ut memoria pereat similis abusus, mandavit, ut injungatur Archiepiscopis et Episcopis regni Neapolitani, quod hastas, gradus,



suppedanea, et quæcumque alia signa Baldachini ab Ecclesiis suarum Diocesum tam sæcularium quam regularium remove faciant, et quoad Ecclesias Regularium procedant ad interdicta, et contra inobedientes ad censuras, auctoritate Sacræ Congregationis eadem die vigesima secunda Aprilis MDCXC.

Et facto de prædictis verbo cum Sanctissimo per me Secretarium, Sanctitas Sua annuit, sensum Congregationis approbavit, et laudavit, ac præmissum Decretum exequi omniino et publicari præcepit, die xxij ejusdem mensis et anni MDCXC.



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEON



